DISPUTATIO JURIDICA DE LEGUM CONTRARIETATE AD [PARAGRAFO]. CONTRARIUM 15. L. 2...

Jakob Carpov, Paul Weber, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

DISPUTATIO JURIDICA

Ad

§. Contrarium 15. l. 2. C. De Vet. jur. enucl.

TEXTUS.

COntrarium autem aliquid in hoc Codice poſitum nullum ſibi locum vindicabit, nec invenitur. Si quis ſubtili animo diverſitatis rationes excutiet, ſed eſt aliquid novum inventum, vel occultè poſitum, quod diſſonantiæ querelam diſſolvit, & aliam naturam inducit diſcordiæ fines effugientem.

THESIS I.

Jus noſtrum Civile apud multos, etiam magni nominis viros, malè audit, quaſi potius ex quadam animi inconſtãtiâ atq; mutabilitate, quam certo ac firmo rationis naturalis fundamento conſtitutum fuiſſet: Quæ fama eſt falſiſſima; Jus enim noſtrum certâ ratione non deſtitui, imò, nec ſolâ quidem hominum opinione & authoritate ſuſtineri, ſed immotis principiis ac fundamentis, in rectâ ratione fundatis fulciri, firmiter ſtatuimus.

II.

In omni namq; lege duo requiruntur, Ratio, quæ medulla legis dicitur, & Authoritas, Hæc duo ſi concurrant in lege, Lex obligat, etiamſi lata fuerit à magiſtratu infideli, ſubditos quoq; Chriſtianos; cui, ut omnibus legibus civili-

bus, ſalvâ conſcientiâ extra ſalutis diſpendium obedientia denegari haud poteſt.

III.

Et tantam legibus ejusmodi politicis tribuimus authoritatem, ut legibus Moſaicis forenſibus derogent; aliud viſum eſt Carlſtadio, De quo Philippus: Carlſtadius damnabat omnes leges ab Ethnicis conditas, contendebat jus in foro ex Moſe dicendum eſſe. Contra B. Lutherus tom. Jenenſ. 2. Im bedencken/ob man nach Moſe/oder Käyſerlichen Rechten richten vnnd Vrtheilen ſolle: Nu aber nicht Moſe/ ſondern Käyſer Recht in der Welt ſind angenommen/vnd im brauch/will ſichs nit gebühren/das wir hie eine Sect/ vnd Zwietracht anrichten/ vnnd Moſe Geſetz annehmen/vnnd Keyſerrecht fahren laſſen/ &c. & in fine, Wir ſind ſchuldig die Recht zu halten/die vnſer Obrigkeit vnnd Nachtbarn haben. Hujus intuitu rectè affirmatur, Jus Canocum, cæteris tamen paribus, hodiè non Pontificum authoritate, ſed conſuetudine haud ſine causâ obſervari.

IV.

Sed quid dicendum de legum civilium, quæ in corpore juris civilis habentur, contrarietatibus, quæ ſubinde allegantur? jus noſtrum ſine ratione eſſe, nec firmiter & conſtanter in eo aliquid poni, exinde omnino ſequi videtur; Hinc diſputatione digniſſimum, num contrarietates ejusmodi, quæ antinomiæ vocari conſueverunt, pro veris ſint habendæ, num verò apparentibus tantum contrariis?

V.

Sciendum autem, Antinomiam dupliciter accipi, primùm cum duæ leges inter ſe non naturâ ſed circumſtantiâ

pugnant,

pugnant, quo reſpectu Lex legi non eſt contraria ipſo jure, ſed caſu colliditur & eventu. Exempla ponuntur: Tyrannicidæ imago in gymnaſio ponatur. Mulieris imago in gymnaſio ne ponatur. Mulier Tyrannum occidit. Aliud: Tyrannicida quicquid volet, optato. Tyranni filios magiſtratus necato. Tyrannus ab uxore ſua interfectus eſt. Ea liberos ſuos petit. Ubi cum Duareno Ciceronis Conſilium ſequemur, lib. 2. de invent. Videndum eſt utra Lex ad majores & utiliores res pertineat, unam neceſſe eſt alteri cedere, utiliori nempe minus utilem; &c. & quæ alia eleganter ibi adducit. Antinomia in ejusmodi ſignificatu propriè huc non pertinet.

VI.

Hoc loco Antinomia ſignificat leges contrarias, ipſo jure & naturâ pugnantes inter ſe, non ſolum circumſtantiâ; qualis an in Pandectis reperiatur? quæſtio eſt. De cæteris Juſtiniani libris, quorum alij prius, alij poſterius editi ſunt, ſequendum eſt, quod Paulus & Tertullianus docent, priores leges ad poſteriores trahi; & contrà, poſteriores ad priores, niſi contrariæ ſint. Nam, teſte Modeſtino, prior lex poſteriore contraria tollitur & abrogatur.

VII.

Sunt qui exiſtimant, adverſantes ſententias in jure noſtro reperiri, nullâ ratione componendas, nullo fœdere ſociandas. E quorum numero Johannes Mercerius in ſuo conciliatore ſcribit: Ecqui potuit igitur Vir unus, quamvis multorum conſilio adjutus, quæ omnes ij tam diverſa ſcripſerunt, ita conciliare, ut nullâ parte diſcreparent? Tanti mihi Tribonianus non fuerit, ut id ei tributum velim. Id animi habuerit, ſanè ut præſtaret conſequi non potuit &c.

 Lau-

VIII.

Laurentius Valla lib. 6. Elegantiarum, cap. 58. ponit hæc verba: *Quid tàm contrarium, quàm hæ duæ JCtorum ſententiæ?* (id eſt, Ulpiani in l. præcipiunt 37. ff. de Ædilitio edicto, & Venuleij in l. ult. §. fin. ff. eod. tit.) *quid magis abſurdum, quàm non dico inter eas non judicaſſe, ſed eas aut ambas ſcripſiſſe, aut contrarias eſſe non vidiſſe? Et quanto plura in rebus, (ut conjectura ducimur) eſſe debent, cum in verbis tot ſint, & tàm manifeſtè contraria.*

IX.

Antonius Matthæus in notis ad Inſt. §. ſi quis aliena de Rer. diviſ. adducit tanquam textus contrarios l. in rem actio 23. §. ſed & id 3. ff. de Rei Vind. & l. quâ ratione 9. §. ſed non 2. ff. de Adquir. Rer. Dom. ac rejectâ Donelli conciliatione, ſubjicit: *ſed amplectatur hanc conciliandi rationem, qui volet: Ego verè hanc juris antinomiam eſſe agnoſco, relictam nobis magnâ compoſitorum incuriâ, ne quid gravius dicam. Sunt enim iſta ICtorum Caij & Pauli reſponſa inter ſe contraria, quis inficias ibit?*

X.

Tanquam contrarij & alij textus adducuntur: l. ſi cujus rei 13. §. ſi tamen 6. in fin. & l. uſufructuarius 61. ff. de uſufr.

XI.

L. ſi cui 9. ff. de ſervitut. & l. ſi via 26. ff. de ſervit. præd. ruſt.

XII.

L. ſi ego 18. ff. ſi cert. pet. & l. cum in corpus, 36. ff. de

A.R.D. de quarum LL. contrarietate ſcriptũ reliquit Paulus de Caſtro, tantum negotij in componendâ hac contentione eſſe, quanta in toto jure ſe offerre poſſit. Et Nicolaus à Salis in ſuis ſcilimentis tradit, hoc diſſidium ægre conciliari poſſe.

XIII.

Alias quoque LL. ſibi è diametro contrarias & nullâ ratione conciliandas occurrere, affirmare non erubeſcunt. Verum, hiſce opinionibus Authoritas Juſtiniani opponitur, in h. n. §. item §. quibus, ex Conſt. de novo Codice faciendo, §. 1. ex Conſt. de Juſtinianeo Codice confirmando; §. ſupradictis, ex Conſt. de emendatione Codicis §. nulla l. 1. C. de Veter. jur. enucl.

XIV.

Si igitur vera ſunt, ait Duarenus, hæc Juſtiniani dicta, ut credimus, nullæ in Pandectis noſtris contrariæ, pugnantesve ſententiæ extant. Sed plerunque accidit, ut homines non ſatis excitati, ac triti in hac civili ſcientiâ, rationes diverſitatis non facilè perſpiciant, quamvis alioqui nec judicio careant, & doctrinâ, literisque ſint inſtructiſſimi &c.

XV.

Udalrici Zaſij (de quo Jacobus à Saa: Zaſius, Vir præter juris ſcientiam, omnium bonarum artium peritiſſimus) de antinomiis judicium tale eſt: ſuper antinomiis, vel legum repugnantiis non nego complura in legibus offendi poſſe, quæ pugnantia primis oculis appareant; ſi tamen introſpexeris, ſi ſpicam excuſſeris, ſi ad medullam manus admoliaris; jam propemodum omnia tibi conſonantia,

concor-

concordia, & junctiſſimè amica eſſe comprobabuntur. Et paulò poſt; Auſim itaq; non jam cum Accurſio, ſed cum ipſo Imperatore aſſerere, non eſſe in legibus Pandectarum ullā tantam contrarietatem, quæ non conciliari poſſit & complacari. Sed induſtriâ opus eſt &c. hæc ille.

XVI.

Hinc exiſtimamus LL. quæ contrariæ videntur, revera contrarias non eſſe, & conciliari poſſe; Earumque quas ſupra ex ſententiâ nonnullorum tanquam contrarias adduximus, conciliationem petenti dabimus.

XVII.

Interim ad omnium conciliationem nos minimè offerimus, hoc enim eſſet arrogantiæ & temeritatis; Nec tantum ingenio & eruditioni noſtræ tribuimus, ac ſi ex tempore antinomias ſingulas ſolvere paratos nos exhibere valeamus, ſed tempore evolvendis Authoribus & meditationi conceſſa periculum eſſet faciendum, fortaſſis haud ſine fructu.

XIIX.

Modus igitur LL. Contrarias conciliandi, donec inveniatur quærendus, de quo hinc inde Dd. extant regulæ, quas omnes referre, noſtri non eſt inſtituti. Illud obiter notamus; Quod in Pandectis quædam referantur quæ tamen non approbentur, (quæ conciliandi ratio quibusdam admodum eſt familiaris) Item Sabinianorum & Proculianorum diſſenſiones in Pandectas eſſe relatas, nobis improbabile videri.

DEO, à quo omnia, ſit Gloria.